





1770.

1. Meier, Joannes Christianus: *Historia juris Germanici antiquissimi circa homines divum.*
2. Oelke, Gottlob Suschius: *De creditore sti vigilante*
3. Reichardt, Jo. Augustus: *De operis venaticis*
4. Walchius, Carolus Fridericus: *De consensu Domini directi in alienationem feudi dato, et in ejus hypothecationem non extendendo.*
5. Walchius, Carolus Fridericus: *De successione descendente feudali.*
6. Walchius, Carolus Fridericus: *De compensatione creditum in concursu.*

1771.

1. Hellfeld, Jo. Augustus: *Præsumptio: 1. De ea, quod in hypothecis laetis æquum vel iniquum est, quo Georgi Gurlicius ab Ditzgen disputatorem inang. in dies I.*



1771.

2. Heuffeld, Dr. Augustus: De praerogativa hypothecae publicae laetiae aequae ac expressae competente
3. Heuffeld, Dr. August, Fac. jur. ecclesiarum: Programm: 9.  
De appropinquatione alio dierum auctorum, quo Johannes ab Eitzgen disputatorem inaug. . . indicit 10
4. Heuffeld, Dr. Augustus: De hypotheca fisci praesertim in bonis post contractum quaesitis
5. Heuffeld, Dr. Augustus, Fac. jur. ecclesiarum: De eo, quod in hypotheca laetia minoribus competente aequum videtur. Programm, quo . . . Dr. Christiani Maier solenniter inaug. indicit. 11.
6. Heuffeld, Dr. August: De seculari jurisdictione in clericis delinquentes, 2 Exempli
7. Heuffeld, Dr. Augustus: De modis obligandi per religionem simulque solenniter inaugurabilis Christ. Fac. Hallenberg indicit 12.

1771

8. Schmidt, Joh. Andr. : De statutum imperii Rhenano-  
Germanici jure reformandi.
9. Truetzschler, Fredericus Carolus Knechtus : De donatione  
inter conjuges per alium facta prohibita.
10. Walchius, Carl. Frid. : Programma : De laicis pu-  
diorum veterum Germaniae ecclesiasticorum scabibus,  
quo . . . Christiani Petrici Melis . . . Disputationem  
sollemnem . . . indicit.
11. Walchius, Cr. Fridus : De possessione legum ex sententia  
non possidente.
12. Walchius, Carl. Fridand : De privilegio pecuniae in  
repetitionem aedium creditae. 2 Bunde.



1/

2.

3.

4.

5.

6.

7.

*[Faint, illegible handwritten text in German script, likely a list or index, covering the majority of the page.]*





DISSERTATIO IVRIDICA

DE

COMPENSATIONE  
CREDITORVM IN CONCVRSV

QVAM

P R A E S I D E

CAROLO FRIDERICO WALCHIO

IVR. DOCTOR. ET PANDECT. PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO  
SEREN. DVCIS SAXO-GOTHANI ET ALTENBURGENSIS CONSILIA-  
RIO AVLICO CVRIAE PROVINC. SAXON. COMMVNIS SCABINOR. COL-  
LEGII ET IVRISCONS. ORDINIS ADSESSORE SOCIET. LAT. IENENS.  
EPHORO ALIARVMQVE SOCIETATVM LITTER. COLLEGA

PVBLICAE ERVDITORVM DISQVSSIONI

D. XXII. SEPT. CIOIOCLXX.

SVBMITTIT

IOANNES ERNESTVS SCHMIDIVS

SAALFELDENSIS

---

I E N A E

L I T T E R I S S T R A V S S I I .





SERENISSIMO AC CELSISSIMO  
PRINCIPI AC DOMINO

DOMINO

FRANCISCO FRIDERICO  
ANTONIO

D V C I S A X O N I A E

IVLIACI CLIVIAE MONTIVM ANGARIAE AC WEST-  
PHALIAE COMITI PROVINCIALI THVRINGIAE MAR-  
CHIONI MISNIAE COMITI DIGNITATE PRINCIPIS HEN-  
NEBERGIAE COMITI MARCHIAE ET RAVENSBERGIAE

DOMINO RAVENSTEINIAE

TERRARVM COBVRGENSIVM ET SAALFELDENSIVM

HEREDI DIVINITVS DATO

PRINCIPI AC DOMINO SVO

C L E M E N T I S S I M O



SEPTENTRIO AC CETERA  
PRINCIPII AC DOMINO  
DOMINO  
FRANCISCO FRIDERICO  
ANTONIO  
EUCI SAXONIAE  
HACI CIVIS MONTI ANOARIAE DE WIT-  
HABE CASITUS SINGULI FORTISSIME PRA-  
HONTI ALIUM COMITIBUS TIBIATE TIBIOMI DE  
HABERIS CIVITATE MONTI AC CETERA  
DOMINO RAVENSTINAE  
HABERIS CIVITATE MONTI AC CETERA  
PRINCIPII AC DOMINO SVO  
CIVITATE MONTI AC CETERA



SERENISSIME PRINCEPS,  
DOMINE CLEMENTISSIME,



**S**OLA, CLEMENTISSIME PRINCEPS,  
indulgentia, qua TV semper musas ab  
ipsis incunabilis TVVM in contubernium  
adscitas tueri soles, suffultus, audeo, hasce  
iuris primitias maxima animi deuotione TIBI  
offerre, easque CELSISSIMO NOMINI TVO in-  
scribere. Pro ea igitur, qua erga literarum studia es vo-  
luntate gratiosissima certissime spero, TE exiguum hocce  
dissertationis specimen fronte TVA id est serena, indulgentissi-  
me accepturum illudque deuotissimae mentis humillimaeque  
sub-

subiectionis documentum esse interpretaturum. Seruet TE  
immortalis deus in doctrinae et sapientiae studiorum tute-  
lam atque incrementum omniumque ciuium solatium sal-  
uum atque incolumem diutissime: omnia, quae suscipis, for-  
tunata esse iubeat atque efficiat, vt in longam annorum  
feriem splendorem serenissimae domus Coburgensis non  
modo sustineas; verum etiam augeas ac propages. Haec  
est summa votorum meorum. TUA autem CLEMENTIA  
est, cui me measque res demississime trado atque com-  
mendo

SERENISSIME PRINCEPS,  
DOMINE CLEMENTISSIME  
TVI  
CELSISSIMI NOMINIS

subiectissimus demissimusque  
IOANNES ERNESTVS SCHMIDIVS  
Saalfeldensis.



DISSERTATIO IVRIDICA  
DE  
COMPENSATIONE CREDITORVM  
IN CONCVRSV.

---

§. I.



**S**i creditorum orto concursu inter eos reperiuntur, qui ipsius debitoris communis; vel corporis eius bonorum existunt debitores: multum profecto interest, vtrum compensatione illis uti liceat; an id haud sit permissum; sed satisfacere potius eos oporteat suo debito atque expectare solutionem in loco inter creditores ipsis assignato. Quum is profecto rebus suis optime consulit, vbi, ut ipsi satisfiat inter reliquos creditores, haud petit; sed suum debitum per compensationem extinguit ideoque ad id omnes peruenire student, qui creditoris et debitoris partibus simul funguntur: reliqui eius concreditores vna cum curatore litis semper iis hoc inuidere solent ac beneficium compensationis denegant; non tamen inficiandum est, mox hanc; mox illam partem in errore ideo versari, quod casus, quibus secundum praecepta iuris ciuillis beneficium compensationis debitori massae competat; vel non permittendum sit, a se inuicem haud cu-

A 2

ratur

rate distinguere possit. Eos itaque iam pro virium ratione curatius definire laborabimus; vt autem id digne fiat, eum disputandi ordinem sequi volumus, vt quaedam de compensatione aequae ac concursu scitu necessaria tradamus; his autem praemissis, quatenus compensatio in creditorum concursu locum habeat, exploremus.

§. II.

COMPENSATIO est *debiti et crediti inter se contributio*. Non reperiuntur quidem multa vocabula, quibus illa in iure designatur; vbi paullo tamen curatius leges nostras peruolutamus, inuenimus id, quod plerique dicunt compensationem, ab aliis vocari *pensationem a)*; a Graecis autem iurisconsultis, videlicet THEOPHILO *b)*, HARMENOPVLO *c)*, atque aliis *d)* ἀντιλογον. Missam merito facimus posteriorem hanc adpellationem: de prioribus animaduertimus, sine vlllo dubio formatas esse a praeis iurisconsultis, propterea quod pensare sensu proprio idem esset ac ponderare *e)* atque aes primis temporibus haud numeraretur; sed ponderari solet libra, teste PLINIO *f)* atque eandem ob causam etiam libripens cum aere et libra in quauis requireretur mancipatione *g)*. Haec de nomine compensationis: in formanda eius defini-

*a)* Pensatio pro compensatione adhibetur L. 39. D. solut. matr. L. 67. §. 3. D. de leg. 2. L. 18. D. commodati et L. 52. §. 2. D. famil. eriscundae: in primis autem factum id est ab VLPIANO, L. 7. D. de compens. vbi vocabulis *compensatio* et *pensatio* promiscue vtitur. Neque minus *pensare* vsurpatur pro *compensare*, vti discimus ex L. 15. D. de compensat. quibus addas ea loca, quae collegit BARNAB. BRISSONIVS, de verbor. significat. libr. XIII. voc. penso, p. 1025. edit. HBINECCII.

*b)* libr. IIII. paraphras. institut. tit. VI. §. 30. tom. II. p. 829. edit. REITZII.

*c)* promtuar. libr. III. tit. X. §. 22.

*d)* auctor veterum glossarum verborum iuris, a CAR. LABBAEO erutarum, tom. III. thesaur. iuris civilis EVERARD. OTTONIS, p. 1754.

*e)* testes huius rei producimur HORATIVUM, libr. II. epist. I. v. 19. ac CAIVM, libr. II. instit. tit. 9. in iurisprud. Anteiustiniana ANT. SCHVLTINGII, p. 148.

*f)* libr. XXXIII. bist. natural. cap. 3. Legas: GVIL. RVDAEVUM, libr. I. de asse et partibus eius, p. 178. IACOB. PERIZONIVM, diss. de aere graui, §. III. in dissertationibus eius, p. 404. atque alios.

*g)* testis est CAIVS, libr. I. tit. VI. §. 3. quem locum potissimum ANT. SCHVL-



fnitione, qui e prudentibus Romanis occupatus fuisset praeter **MO-DESTINVM**, inuenimus neminem. Exhibet nobis istam *libro sexto digestorum. b)*. Quum illo potissimum de hereditate et successio- nibus, quantum reliquis ex fragmentis hoc ex libro desumptis con- uicere liceat, disputauerit *i)*: haud perspicere possumus, quonam fato factum sit, ut ibi ad compensationem traduceretur. Ceterum ex- tra omne dubium est positum, descriptionem dictam compensationis quoque certa ratione adoptatam esse a **THEOPHILO k)**: illam ve- ram notionem compensationis, sensu strictiori sumtae *l)*, exponere eandemque ob rationem a plerisque recentioribus iuris doctoribus approbari.

### §. III.

**SUPERVACANEI** operis culpam quum vix effugere posse- mus, si ipsam naturam atque indolem compensationis euoluere vel- lemus: superfedemus merito negotio hoc, a sexcentis fere iuriscon- sultis tam antiquioribus; quam recentioribus suscepto *m)*: ad illos lectores nostros ablegamus ac solum de ea monemus, quod I. prius cogitari nequeat compensatio; quam si debitum adsit mu- tuum; vbi autem illud existat, compensatio II. ipso iure fiat ac III. inter quosuis creditores ac debitores peragatur. Confectaria sunt, quae sponte sua ipsa ex definitione sunt ducenda; nihilo ta- men minus attentionem nostram merentur.

A 3

§. III.

**SCHVLTINGIVS**, in *iurisprud. Anteiü- stiniana*, p. 54. **GERH. MEERMAN- NVS**, *diff. de rebus mancipi et nec mancip. earumque mancipatione*, Lugd. Batauor. ann. **CIOIOCCXXXI**. edita, p. 161. sqq. et **CHRISTOPH. SAXIVS**, *ob- seruat. antiquis philolog. ad vetus cibiro- graphum*, Traiect. ad Rhenum, **CIOIOCCCLVII**. p. 36. seqq. illustrant.

*b) L. I. D. de compens.*

*i)* euoluas: **ABR. WIELINGIVM**, *iurisprud. restituta*. p. 128. et **CAROL. FERD. HOMMELIVM**, *palingenesia libror. iuris veterum*, p. 464.

*k) loc. citat.*

*l)* Distinguere solent iurisconsulti inter sensum vulgarem aequae ac iuridicam compensationis huncque iterum in latiore ac strictiore diuidunt, ut patet ex iis, quae proferunt **IUST. MEIERVS**, *colleg. Argentoratensi tom. I. p. 730.* **HENR. HAHNIVS** ad *Wesfenbec. paratitla*, tom. I. p. 936. ac **PETR. MULLERVS**, *comm. ad Struuii synt. iur. civil. ex. XXI. tom. I. p. 1376.*

*m)* recensentur in **MART. LIPE- NII bibliotheca reali iuridica**, p. 282. edit. nouissima.



## S. III.

QVVM I. mutuuum debitum compensationis obiectum esse tradimus, nihil aliud per id significamus; quam quod duo ponenda sine debita, in quorum vno debitoris partes sustinet is, qui in altero est creditor et vtrumque compensantium alterius debitorem simul ac creditorem esse oporteat. Diuersa ratione qualitatem hanc obiecti indicare solent leges. Vocula potissimum *inuicem* vtuntur, vbi illam significare volunt, vocula iurisconsultis potissimum nota et a IO. STRAVCHIO *n*) ac BARN. BRISSONIO *o*) explicata, hancque ob causam PAVLLVS *p*) eiusmodi debitum *id, quod inuicem debetur: ALEXANDER SEVERVS* in vno loco *q*) *ea, quae inuicem ab eodem tibi debentur*: ac in altero *r*): *pecuniam inuicem debitam* ac DIOCLETIANVS ET MAXIMINIANVS *s*) *inuicem debitum* vocat; ab illo autem sese distinguit GORDIANVS aequae ac alio loco ALEXANDER, quorum ille eandem rem nomine *mutuo debitae quantitatis t*); hic autem vocabulo *mutuae petitionis v*) designat. Neque vero minus facile iurisconsultos aequae ac imperatores inuenire possumus, qui veritatem propositionis huius auctoritate sua corroborant. Eminent inter eos IULIANVS *x*), vbi scribit: *vnusquisque creditorem suum eundemque debitorem submouet, si paratus est compensare*. Sequutus eum est PAPINIANVS, quum vno loco regulam exhibet *y*): *qui vult compensare, quod ab alio debetur, non audietur*, atque altero idem aliis verbis tradit *z*): *creditor compensare non cogitur, quod alii; quam debitori suo debet*; ex imperatoribus autem ALEXANDER *a*) ac GORDIANVS *b*) eandem rem confirmant.

## S. V.

*n*) lexico particularum iuris, p. 106. edit. DIETMARI.

*o*) de verborum significat. libr. vii. voc. *inuicem*, d. 761.

*p*) L. 21. D. de compensat.

*q*) L. 53. C. de compensat.

*r*) L. 4. C. de compensat.

*s*) L. 12. C. de compensat.

*t*) L. 3. C. de compensat.

*u*) L. 6. C. de compensat.

*x*) L. 2. D. de compensat.

*y*) L. 16. D. de compensat.

*z*) L. 18. §. 1. D. de compensat.

*a*) L. 3. C. de compensat.

*b*) L. 9. C. eod. tit.

§. V.

QUONIAM solum unitatem personarum supponimus inter creditorem aeque ac debitorem ex vtraque parte, haud interest, vtrum ista sit vere; an moraliter talis. Non dubitamus itaque cum iurisconsultis statuere, debitorem debitum suum compensare posse cum debito, quod creditor eius non quidem ipsi; bene tamen ei, cuius personam repraesentat, debet, eandemque ob causam modo dictam compensationem admittimus, vbi pater filii *c*); vel filius patris *d*): fideiusor debitoris principalis *e*): socius focii *f*): correus correi *g*): heres defuncti *b*) ac debitor cessus *z*); vel cessionarius *k*) cedentis nomen adlegare et per illud soluere, quod ipse debet, velit. Libentes id largimur; nihilo tamen minus ex eadem positione colligimus, cessare hanc liberationis debitoris speciem, vbi diuersae personae debitoris ac creditoris partes sustineant; neque eiusmodi vinculum inter illas deprehendatur. Non potest itaque maritus compensare pecuniam, ipsi creditam, cum ea, quae vxori debetur *l*); neque

c) GEORG. AD. STRVVIVS, *syn- tagm. iuris civil. tom. I. ex. XXI. ibef. 25. p. 1392.*

d) L. 9. C. de compensat. VLRIC. HYBERVS, *pralect. iur. civil. libr. XVI. tit. II. §. 9. p. 458. et IAC. MAESTERTIVS, de compens. quaest. VIII. p. 77.*

e) L. 4. et 5. D. de compensat. WOLEG. AD. LAVTERBACHIVS, *colleg. theoret. pract. tom. I. libr. XVI. tit. II. §. 9. p. 1052. ANT. HERING, de fideiuss. cap. XX. §. 6. STRVVIVS, loc. cit. et MAESTERTIVS de compensat. quaest. v. p. 65.*

f) perill. HELFELDIUS, *iurisprud. forensi, libr. XVI. tit. II. §. 933. p. 572.*

g) L. IO. D. de duobus reis, STRVVIVS, *ex. XXI. ibef. 25. tom. I. p. 1392. SAM. COCCII, iur. con-*


*trouerso, libr. XVI. tit. II. quaest. 7. p. 774. ac MAESTERTIVS, de compens. quaest. IO.*

h) LAVTERBACHIVS, *coll. theor. pract. tom. I. libr. XVI. tit. II. §. 12. p. 1037. ac STRVVIVS, loc. citat.*

i) VLRIC. HYBERVS, *pralect. iur. civ. libr. XVI. tit. II. §. 9. p. 458.*

k) L. 18. D. de compens. IO. A SANDE, *libr. III. decis. frif. tit. XVII. def. 2. SAM. STRYCKIVS, vsf. mod. dig. libr. XVII. tit. II. §. O. SAM. COCCII, loc. citat. et IO. HENR. BERGER, resolut. leg. obstant. libr. XVI. tit. II. p. 253.*

l) LAVTERBACHIVS, *coll. theor. pract. tom. I. libr. XVI. tit. II. §. 9. p. 1034. Contradicat LEYSERVS, spec. CLXXIII, med. 4. vol. II. p. 288.*



que licitum est tutore, credito pupilli nomen, quod fecit, expedire *m*). Qui procurator saltem alterius est, opponere nequit creditoris suo exceptionem compensationis ob id, quod hic mandanti ipsius debet *n*), neque vero cuius *o*), si contra eum is agit, cui integra id debet ciuitas, id metuit.

§. VI.

PERGIMVS ad alteram propositionem supra de compensatione formatam, quod ipso illa fiat iure. Si in antiquiorem aetatem oculos conicere licet, ante tempora diui Marci sedulo distinguebantur negotia stricti iuris ac bonae fidei, atque in his quidem; minimum autem in illis ipso iure compensationem fieri statuebatur *p*), quemadmodum imperator tradit. Diuus Marcus, vti eodem loco IVSTINIANVS obseruat, primus fuit, qui in strictis iudiciis compensationem per exceptionem doli mali opponere permitteret; sed per id effecit, vt sequente aetate hisce ambagibus supersederent prudentes ac compensationem generatim in quibusuis actionibus admitterent. Factum id est haud demum IVSTINIANI tempore, vti IAC. CUIACIUS *q*), HUGO DONELLVS *r*), ANTON. PEREZ *s*), IO. IAC. WISSENBACHIVS *t*), EDMUND. MERILLIVS *v*), ANTON. SCHVLTINGIVS *x*) animaduertunt; sed vel minimum tempore VLPIANI *y*) et PAVLLI *z*) et quidem, quod huius ex verbis liquet, per consuetu-

*m*) *L. pen. D. de compens. VLRIC. HUBER* et IAC. MAESTERTIVS, *loc. citat.*

*n*) GEORG. AD. STRVVIVS, *ex. XXI. thes. 24. thom. I. p. 1391.*

*o*) *L. 7. D. quod cuiusuis vniuers. nom. HENR. HAHNIUS ad Wesenbec. paratilla, tom. I. libr. XVI. tit. II. num. 10. p. 936.*

*p*) §. 30. *I. de actionibus.* Num primis quoque temporibus in negotiis bonae fidei ex communi sententia iurisconsultorum admilla fuerit compensatio; an hac de re disceptauerint, non definiamus; posterius tamen forsitan con-

iciendum est ex *L. 4. D. de compensat. quo in primis NERATII PRISCI et POMPONII fit mentio.*

*q*) *libr. VIII. obseruat. cap. 6. et libr. XV. obs. cap. I.*

*r*) *libr. XVI. commentar. iuris ciuil. cap. 15.*

*s*) *comm. ad cod. L. vlt. C. de compensat. t) exercit. ad pandectas disp. xxxv. thes. 6. p. 310.*

*v*) *variant. ex Cuiacio, libr. II. cap. 4. tom. II. operum, p. 287.*

*x*) *iurisprud. Anteusliniana, p. 274.*

*y*) *L. 10. D. de compensat.*

*z*) *L. 21. D. eod. tit.*



suetudinem, a prudentibus introductam, donec IUSTINIANVS a) illud confirmavit et adhuc latius extendit. Ab eo abhinc tempore ipso iure fiebat compensatio; ex hac autem propositione grauissima ducere possumus confedaria. Hoc quum certum est, ab eo momento compensatio oritur, quo alterum contractum est debitum b): vsurarum cursus ab isto tempore finitur c) ac pignora, vni creditori eius in securitatem constituta, non minus ipso iure liberantur d).

§. VII.

NEQVE vero minus certum est atque expeditum III. inter quoslibet debitores compensationem locum habere posse; neque vlla ratiohe illos esse distinguendos. Concludimus illud ex eo, quod compensatio ipso iure fiat ideoque nullum requirat factum; praeterea autem adfit, vbi mutuum existat debitum mutuuumue creditum eandemque ob causam inter omnes, qui debitores ac creditores simul esse queunt, compensatio quoque obtineat. Quumque haec ita sese habeant, nostra haud interest, vtrum personae sint physicae; an morales e), quibus hoc modo sit satisfaciendum: vtrum illae sese obligare ac simul quidquam alienare possint; an id illis haud sit permillum f); quid quod compensationem aduersus rempublicam g) ac fiscum admittimus.

§. VIII.

SATIS disputatum arbitror de compensatione: accedo iam ad *concursum creditorum*. Sumimus vocabulum hoc in sensu strictiori ideoque sub illo minime statum illum bonorum debitoris, quo ista ab aere eius alieno superantur, intelligimus cum iis doctoribus, qui *concursum in materialiter talem ac formalem* diuidunt: illum cum

B

A V -

a) L. ult. C. de compens.

e) L. 3. C. de compens.

b) L. 4. C. eod. tit.

f) L. 13. C. de contr. iur. act.

c) L. 11. et 12. D. eod. tit.

g) L. ult. D. de compens. ac L. 46.


d) L. 12. C. de compens. IAC.

MAESTERTIUS, de compensat. quaest. §. 6. D. de iur. fisci.

123. p. 141.

2).  
ex-  
2).  
oct  
  
fa-  
em  
an-  
ni-  
ad-  
ri-  
em  
vt  
en-  
id  
d).  
B.A.  
N-  
d)  
on-  
tu-  
  
fat.  
et  
  
et  
  
iul.  
  
fat.  
K.V.  
  
II.  
  
74





AVGVSTINO DE BALTHASAR *h*) adesse iam putant, si debitor nimio aere alieno grauatus, *creditoribus instantibus* satisfacere haud potest, ideoque ibi concursum adsumunt, ubi bona debitoris ad dissoluendum aes alienum haud sufficient. Neque concursum adesse putamus, ut nos vocabulum hoc adhibemus, ubi, antequam cessio bonorum sit facta, vnus creditor prae altero solutionem poscit hacque de re ambo litigant; etsi haud inficiemur, concursum eo quoque casu adsumi debere, si haud penitus reiicere velimus distinctionem inter concursum *formalem* ac *materialiter talem* *i*). Verumenimvero superfedemus discrimine isto penitus concursumque *iudicium* vocamus, quo *creditores obaerati debitoris de ordine, in quo ex libonis eius, iamiam in ipsos translatis, singulis illorum solutio sit praestanda, disceptant* *k*).

### §. VIII.

EA quum est concursus notio: merito quaerimus: *quando sit initium illius?* Si paullo curatius iustitiam, quid hac de ardua quaestione iurisperiti adhuc protulerint, facile deprehendimus, in duas eos scribendos esse classes. Quum prior illos complectitur, qui vnicum tantum initium concursus esse statuunt: referimus, in illam ante omnia Hispanum illum FRANCISC. SALGADO de SAMOZA *l*) aequae ac DAV. MEYIVM *m*), qui a cessione tantum bonorum incipere concursum, sibi persuadent. Coniungimus cum illis GUIL. LEYSERVM *n*), quum illum solum precibus debitoris; vel creditorum excitari statuit; neque minus GOTTF. BOENIGKIVM *o*) ac MICH.

*h*) collatione iuris communis cum Saxonicis, Lubecensis, Mecklenburgensis et speciatim Pomeranico qua classificationem creditorum in concursu, part. I. p. 2.

*i*) conf. IO. GOTTF. SCHAVMBURGIVM *princ. prax. iudic. libr. II. cap. VIII. §. I. perill. IO. AVG. HELFELDIVM, irrisprud. for. libr. XLII. tit. V. p. 171. et IO. ANDR. HOFMANNVM, in der deutschen Reichspraxi, part. II. cap. 98. p. 34.*

*k*) evoluit notionem concursus potissimum IVST. HENN. BOEHMERVS, *diss. de concursu extra concursum, tom. V. exercit. eius, p. 561.*

*l*) in labyrintho creditorum, part. I. cap. IIII. §. I.

*m*) part. VI. decif. 104.

*n*) *diss. de concursu et graduat. creditorum, cap. I. §. 2.*

*o*) *practic. practicata, cap. XXXVIII.*

MICH. HENRIC. GRIBNERVM *p*) in eundem censum scribimus, quorum ille a constitutione curatoris, hic autem a momento, quo plures creditores solutionem exigunt, initium hoc computandum esse credunt: immo iis doctoribus certa ratione sese adgregat AVG. LEYSERVS *q*), dum a tempore edictalis citationis initium concursus deriuat. Ab omnibus his litteratissimis viris desectunt alii, qui haud vno modo concursum incipere existimant et posteriore classem constituant. Notandus ex iis est inprimis IAC. FRID. LVDOVICI *r*), vbi vel per cessionem bonorum; vel plures actiones, a creditoribus institutas, concursum excitari tradit. Ab iis dissentit IO. BALTH. WERNHERVS *s*), quum in impositione arrestorum initium concursus quaerit, si cessio cessat et licet IO. GOTTFR. SCHAVMBVRGIVS *t*) mentem suam hac in re haud clare exponat; non obscure tamen significat, cogitari posse concursum, si in Saxonia duo pluresue bonis debitoris arrestum imponant: ne in praeiudicium ipsorum aliis satisfiat, interueniant: debitor bonis cedat; vel denique iudex edictalem emittat citationem. AVGVSTIN. A BALTHASAR *v*) vel a iudice; vel a creditoribus; vel a debitore concursum excitari exponit et tandem nuperrime perillustris Halensium antecessor, DAN. NETTELBLADT *x*) concursum incipere statuit, si debitor bonis cedat; aut in fugam se coniciat; aut eius creditores, vt instituat processus concursus, petant.

## §. X.

si quis omnia haec curatius ponderat ac perpendit, in quot sententias distracti fuerint docti viri hac in quaestione: non potest fere fieri; quin illa ipsi videatur grauis atque ardua. Dissidium hoc nos non impedit; quominus virium nostrarum periculum faciamus atque eandem eruere studeamus. Quum ante omnia cum peritissimis iurisconsultis

B 2

suppo-

*p*) princ. prax. iudiciar. libr. II. cap. 9. §. I.

*q*) spec. ccccxxxviii. med. 7. vol. VII. p. 467.


*r*) Einleit. in dem Concursprocess, cap. I. §. XIII. p. 10.

*s*) part. IIII. obs. 146. tom. p. 863.

*t*) loc. excitat.

*v*) loc. laudat.

*x*) in der Anleitung zur practischen Rechtsgelehrtheit, sect. II. part. III. libr. II. p. 391.



supponimus, concursum cogitari haud posse; nisi bona debitoris in creditores sunt translata; iis autem semel creditoribus relictis, adesse quoque concursum y): merito distinguimus, utrum cessio bonorum proprie sic dicta sit facta; nec ne? Prius si accidit, sine dubio ab eo momento, quo istam debitor peregit, incipit concursus. Colligimus illud claris ex legibus z); vbi vero cessio sit non facta, aut debitor obaeratus ob aes alienum, quod eum pressit, in fugam se coniecit; aut id non est factum. Si prius euenit, animum bona sua in creditores transferendi, ita declarauit, vt licet per fugam beneficio cessionis bonorum dignum haud se reddiderit, illa tamen ratione bonorum eundem procreet effectum, qui ex cessione oritur, ideoque etiam ab illo momento initium concursus est computandum a); vbi vero id non accidit et posterior obtinet casus, siue restiterit debitor; siue ex vita decesserit, inspiciendum est, utrum a iudice; antequam citatio edictalis sit emissã, decretum datum sit de aperiundo concursus processu; nec ne, ea ratione, vt si tale decretum reperiatur in actis, siue sit profectum a iudice, coram quo processus est institutus; siue ab eius superiore per

y) videmus illud iam ex eo, quod bona debitoris in creditores translata vnicum concursus obiectum constituant hicque sine illis cogitari nequeat: neque vero minus constat id ex legibus, quum secundum *L. 24. D. quae infraud.* facultas soluendi cuiusdam creditori haud denegarunt; antequam reliquerit creditoribus suis bona, quod non fieri potuisset, si concursus iam esset ortus: neque minus ex *L. 8. D. de rebus auct. iudicis poss.* pacta seruanda sunt, ante illam cessionem; seu missionem [a] debitore celebrata. *DAV. MEVIUS, part. VI. obs. 105.*

z) *L. 4. C. qui bon. ced. poss.*

a) *L. ult. D. de cess. bonor. ac L. fin. C. qui bon. ced.* Illustrat hoc responso 10. *HENR. BERGERVS, elect. discept. forens. supplementis, part.*

*II. tit. xxxxi. obs. I. p. 779.* merito tamen hoc loco monere debemus, non omne iter, quod obaeratus suscipit, pro fuga esse habendum; sed eum in finem debitorem protectionem instituere debere, vt bona sua creditoribus relinquat. Vbi itaque alium in locum debitor, alia ex causa proficiscitur atque ibi tempore quodam praeterlapso manere bonaque, creditoribus relinquere decernit, initium concursus non a die itineris suscepti; sed a momento, quo propositum eius est patefactum, initium est computandum. Haec fuit ratio, cur illustri iuriconsul. ordo sententia mens. Mart. ann. superiori data initium concursus cuiusdam in vespertino tempore d. xi. april. poneret, licet d. x. april. debitor sese in fugam iam coniecero.





per rescriptum, ad inferiorem missum, a tempore huius decreti; vbi autem illud deficiat, a tempore citationis, ad liquidandum missae, concursus pro aperto sit habendus. Omnibus hisce in casibus quum initium concursus fieri putamus, propterea quod translatio bonorum in creditores sit facta hisque translatis ille quoque adfit iure ac merito, illum existere, constanter negamus, vbi duo; vel plura arresta sint imposita bonis creditoris: tantum decretum *de non alienando* debitori sit insinatum *b)*; vel creditores quidam, vt admitteretur concursus, petierint, quoniam in neutro horum casu bona in creditores transire, statui potest.

§. XI.


E o momento, quo concursus est ortus, succedunt in locum debitoris creditores; nemo tamen arbitrari debet, propositionem hanc ita esse vniuersè interpretandam, vt nullis limitibus sit circumscribenda. Distinguere potius debemus inter iura atque obligationes, quumque debitor obaeratus bona sua tam futura; quam praesentia, quae ab eius dispositione dependerunt, eatenus, quatenus facultatem, de iis disponendi, habuit, in creditores transfert: aliter res se habet, vbi obligationes consideramus. Etsi quoque de *realibus*; siue iis, quae ipsis rebus in creditores translatis inhaerent, v. c. oneribus concedere quoque queamus, quod creditores in debitoris sui locum succedant ac illas in se fuscipere debeant; de *personalibus* tamen tam mediatis; quam immediatis non nisi adhibito discrimine adserere possumus, concursum personam debitoris sui in iis repraesentare ac pro vna persona cum illo esse habendum. Si sine vlla distinctione id statuere vellemus, quilibet creditor solutionem debiti sui poscere posset a reliquis creditoribus; neque distinguere deberet, num massa bonorum eam classem attingeret, in qua locum sibi vindicare posset; nec ne? quod qui-

B 3

dem

*b)* non negandum est, decretum eiusmodi quosdam producere effectus, qui ex initio concursus quoque oriri solent; nemo tamen ideo arbitrari debet, eiusmodi decreto lato, adesse quoque concursum. Haec fuit ratio,

cur illustris ordo Ienensis sententia, mens. Sept. 1719 cclxix. lata a Vitembergensibus desisteret eorumque sententiam, leuiteratione contra illam interposita, reformaret.



dem naturae processus concursus prorsus aduerfaretur. Hanc ob rem haud fallimur, vbi quidem ratione eorum, ad quos quidquam pro ordinis ratione perueniat, iam liquet; minime autem ratione reliquorum, successione creditorum, coniunctim sumtorum, in locum debitoris admittamus.

## §. XII.

HISCE praemissis, viam nobis ad principem huius commentationis partem; sine ipsum illud disputandi argumentum parauimus. Propius itaque ad id accedimus ac, num quoque compensatio in creditorum concursu obtineat? disquirimus. Et si perpauci iurisconsultorum sint, qui quaestionem hanc in medium protulerunt, videlicet IO. GEORG. NICOLAI *bb*), SAM. STRYCKIUS *c*), GVNTH. LVDOV. MARTINI *d*), IO. PHILIPPI *e*), IO. HENR. BERGERVS *f*), AVG. LEYSERVS *g*) ACFRID. ESAIAS PVFENDORFIVS *h*); illam tamen ita decidunt, vt nemo eorum nobis satisfaciatur; vbi vero principia ea, quae non sine ratione praemisimus, adplicamus, facili negotio inuenimus, distinguendos esse casus aliudque esse statuendum, vbi vtrumque debitum, quod sit compensandum, ante initium concursus iam existerit; aliud vero obtinere, vbi isto tempore vtrumque debitum nondum fuerit contractum.

## §. XII.

SI debitum vtrumque ex parte debitoris communis atque eius creditoris existerit ante initium concursus: sine vlllo dubio compensatio locum habet, adeo, vt maxima iniuria creditori fieret, si quae debuit obaerato, soluere deberet massae atque solutionem debiti in loco, ipsi adsignando, expectare. Concludimus hoc ex eo, quod

*bb*) *resolut. XXIII. nr. 120.*

*c*) *not. ad Brunnemannum de processu concursus creditor. cap. VII. §. 10.*

*d*) *in analectis forensibus tit. XXXVIII. §. I. num. 547.*

*e*) *de subbastaation. cap. III. comm. 12. num. 55.*

*f*) *supplem. ad elect. discept. forens.*

*part. II. p. 348. oeconom. iuris, libr.*

*III. tit. XV. §. 4. not. 3. et resolut. leg. obstant. libr. XVI. tit. II. p. 252.*

*g*) *spec. CLXXIII. med. 4. et CLXXIII. med. 5.*

*h*) *obseru. iuris vniuersi, tom. I. obs. LXXVIII. p. 195.*

quod compensatio ipso iure, ut §. VI. tradidimus, fiat ideoque etiam hoc casu haud eo tempore, quo concursus est excitatus; sed ante illud est facta: tunc creditor liberam adhuc habuit facultatem, suis creditoribus satisfaciendi; et itaque etiam ita eiusmodi debitum solui potuit. Quum illud, omni discrimine remoto, adfirmandum esse censemus, haud distinguimus, num id, quod creditori debitor communis debuit, privilegiarium nomen fuerit; nec ne? ideoque nec dubitamus, etiam in Saxonia solas vltimas, ante concursum soluendas, cum debito crebitoris compensare; eadem autem ratione idem de aliis debitis cum VLR. HYBERO *z*), FRID. ESAIA PVFENDORFIO *k*) ac IO. HENR. BERGERO *kk*) adfirmamus.

## §. XIII.

VBI vero euenit, ut, quum inciperet se concursus, debita illa duo, quorum compensatio iam tentatur, nondum exstiterint: duo iterum casus cogitari possunt, prout vel vnum saltem horum debitorum; vel neutrum tempore excitati concursus exstitit. Necessse est, ut vtrumque casum paullo curatius consideremus; vbi autem ad priorem oculos conuertamus, duplici iterum ratione eum contingere posse inuenimus, quum vel debitum creditoris; vel pecunia ab ipso credita ante initium concursus adfuit.

## §. XV.

SI vnum saltem debitorum computandorum tempore coepti concursus exstitit et quidem illud, cuius solutionem vnus creditorum ex massa petit atque euenit, ut deinde quoque idem obligetur ad pecuniae summam quamdam soluendam massae v. c. ob praedia, ab ipsa locata; vel emta: aut clare liquet, quid perueniat ad eiusmodi creditorem ex massa eius ob creditum; aut id non constat. Priori casu locum habet compensatio, propterea quod concursus in locum debitoris communis intuitu singulorum creditorum eatenus in locum ipsius

*i*) *praelect. iuris civilis, tom. IX. kk) oecon. iur. libr. III. tit. XV. libr. XVI. tit. II. §. 14. p. 460. §. 4. p. 697.*  
*k*) *loc. memorato.*

ipſius ſuccedit atque illius perſonam repræſentat, quatenus quidquam ex maſſa ad eos poteſt peruenire: mutuam itaque adefſe debi- tum et ubi hoc adſit, compenſatio quoque locum habet; poſteriori vero caſu omnia hæc ceſſant ideoque compenſatio ita iure denegatur, vt ſoluere debeat creditor pretium atque exſpectare ſolutionem ſui crediti in loco, qui ipſi adſignabitur. Hæc quum ita ſe habeant, diſcedimus a IO. PHILIPPI *l*), qui nunquam hiſce in caſibus compenſationem admittere vult. Neque ſuffragari poſſumus AVG. LEYSERO *m*), ubi creditorem, qui in concuſſu rem debitoris ſub haſta emit nomen ſuum, ſi liquidum ſit et verofiſimili prioritate gaudeat, cum pretio compenſare poſſe ſtatuit, quum illud nomen, quod verofiſimili prioritate ſaltem eſt munitum, ratione compenſationis pro liquido habere haud poſſumus et vitumque debitum liquidum eſſe oporteat atque adprobamus potius IO. HENR. BERGERI *n*) ſententiam, creditum *indubitata proprietate ſubniti* debere, ubi cum tali pecunia, maſſæ concuſſus debita, ſit compenſandum; neque tamen, quum non facile contingit, vt, ubi dies, quo pretium eiusmodi ſit ſoluendum, venit, etiam clare conſtet, quid ad ipſum credito- rem perueniat, negamus, eum quoque non facile ad compenſationis exceptionem confugere poſſe.

§. XVI.

QVVM tam adcuratè diſtinguere debemus caſus, ubi ante concuſſum creditor debitori credidit ortoue eo demum ille debitor maſſæ ſit: non opus eſt quadam diſtinctione, ubi quisquam inter debi- tores debitoris obaerati ante concuſſum eſt referendus; ſed ſequenti tempore maſſa, vt cum practicis loquamur, ad ſoluendum quidquam ipſi obligatur. Supra iam docuimus, creditores, orto concuſſu, ratione iurium, quæ obaerato debitori competere, quæue eius ab diſpoſitione dependunt, in locum illius ſuccedere ideoque merito etiam ſtatuiſſimus, illos quoque poſt motum concuſſum debitoris partes ſuſtinere. Non poſſumus itaque; quin concuſſum ſupra memorato

*l*) de ſubhaſtat. cap. III. comm. 12. nr. 55.

*m*) ſpec. CLXXXIII. med. 4.

*n*) ſupplem. ad elect. diſcept. for. part. II. p. 348.


morato in casu debitorem esse simul ac creditorena mutuumque debitum adesse censeamus: quo vero posito, omnino compensatio est admittenda.

§. XVII.

IDE M tandem sine vlla distinctione est existimandum, vbi duo debita, quorum compensatio proponitur, ita post motum concursum contrahuntur, vt ad solutionem quamdam concursus tertio hicque concurrui obligetur. Quis quaeso, hoc posito, statuere dubitabit, eundem esse creditorem ac debitorem? Ita id in promptu est, vt nulla egeat disputatione, quumque mutuo posito debito, si reliqua compensationis requisita adsunt, compensatio semper cogitari potest, sponte sua sequitur, vt illa quoque in eiusmodi debitis sit permessa.

§. XVIII

QVAE adhuc tradidimus, belle illustant duae sententiae, anno superiori in actis Megapolitanis ab illustri iuriconsultorum nostrorum ordine pronunciatas. Conduxerat nobilis praedium cameraeque ducali, quae ipsi illud locauerat, loco cautionis, pecuniam mutuum dederat. Quibusdam annis peractis, conductor in magnum aes alienum incidit ac foro cedit. Quoniam etiam mercedem promissam camerae non soluerat: occupat illa debitoris mobilia, armenta reliquaue pecora; actor autem communis creditorum duabus actionibus conueniebat camera, quarum vna mutua condiceret; altera vero res ablatas repeteret. Tuebatur se camera aduersus vtramque actionem exceptione compensationis; sed diuerso cum effectu. Quum pecunia mutua data esset debitori obaerato ante motum concursum; neque minus ante illum iam camerae is iam deberet, quod ab ipso peteret: in priore actione exceptionem attentione dignam censuit collegium iuriconsultorum atque ita pronunciauit: *Dasß Klügers Suchen, noch zur Zeit, nicht Statt hat, sondern es ist derselbe auf die von Beklagtem nr. act. 19. sub D. beygefügte sogenannte vorläufige Abrechnung sich einzulassen und seine Monita darüber einzureichen, schuldig. Wenn nun selbiges erfolgt, Beklagter auch über*



über Klügers Erinnerungen geböret worden: so ergebet darauß was Recht ist. V. R. W. Longe aliter sentiebat ordo de altera actione. Licet reus etiam in illa ad ea prouocaret, quae a debitor ex contractu locationis conductionis ipsi essent praestanda et cum his compensare vellet, quae debebat camera creditoribus ex rebus, iussu illius ablatis; merito tamen considerandum erat, debitum hoc camerae ortum esse post motum concursum hancque ob causam sententia est lata: *Daß Beklagter die aus des gemeinen Schuldners Vieh und Fabris gelöseten Gelder an die Concurs Masse zu bezahlen und die an denselben habende Forderungen, derenthalben Herzogliche Cammer sothanes Vieh und Fabris zeithev zurückbehalten, bey dem Concurs zu liquidiren und dieselbst deren Befriedigung zu erwarten, schuldig. V. R. W.*



## MONSIEUR

C'est avec un plaisir infini, que je profite de l'occasion que vous me donnés de vous temoigner publiquement l'estime que je vous porte. Jouisés un nombre d'années des fruits que vous allés recueillir DE VOTRE savante dissertation et foyés assuré, que personne ne peut etre avec plus de sincerité que moi

## MONSIEUR

Jene  
ce 21. Sept.  
1770.

VOTRE très obeissant Serviteur  
CHARLES COMTE DE GOERTZ.  
NO.

NOBILISSIMO AC DOCTISSIMO

IO. ERNESTO SCHMIDIO

S. D. P.


P R A E S E S.

**P**RAECLARVM exhibes temporis, apud nos bene consumti, documentum, quum virium TVARVM periculum facere atque literarium certamen inire TIBI proposuisti. Eo minus possum improbare consilium TVVM, quo certius persuasus sum, multam laudem ex illo TE esse reportaturum, quippe qui ipse iam testis exstiti laudabilis TVAE in iure proficiendi cupiditatis atque progressionum, a TE iam factarum. Deus TE in posterum saluum ac incolumem esse iubeat, omnia funesta omina, abs TE auertat, atque efficiat, vt quae suscepturus es, ex animi sententia succedant atque patria dulcissima fructus percipiat, quos ipsi TVIS ex laboribus auguror. Vt amicitia porro me prosequaris, maiorem in modum abs TE peto. Vale. Ienae, d. XXI. Sept. anno reparatae salutis, CIOIOCCCLXX.

C 2

NO-





NOBILISSIMO ATQUE DOCTISSIMO

DOMINO RESPONDENTI

S. P. D.

IO. GOTTLIEBIVS HEVMANN

IVR. DOCTORAND. ACAD. IENENS. AB EPIST.

OPPONENS


**R**ECTE VIR NOBILISSIME egregiis et morum et doctrinae, quae haecenus edidisti, speciminibus, publicum etiam, temporis in academia optime consumti, documentum addere cum animo TVO constitutum deliberatumque habuisti; et in thematis, ad disputandum sumti, ipsa tractatione, ita processisti, vt non vulgaris, sed solida elegantioris iurisprudentiae cognitio TVA obseruari vbique possit. Hinc TIBI gratulor, de egregio legitimaec scientiae specimine, TE- que, vt in iis, quae ingressus es, stadiis decurrere pergas, etiam at- que etiam hortor. Gratias denique pro ea, qua me haecenus ample- xus es, beneuolentia, habeo maximas, eamque vt in posterum etiam integram et illibatam conserues mihi, rogo atque obtestor.

Vale. Dab. Ienaec d. XXI, Mens. Sept. MDCCLXX.

PRAE-







PRAENOBILISSIMO AC DOCTISSIMO

## RESPONDENTI

SVO SODALIVMQVE NOMINE

S. P. D.

GEORGIVS GVILIELMVS DE SPESHARDT

EQVES IMMEDIATVS FRANCVS


**I**uris civilis doctrina, qua liberaliter es ornatus, saepe numero nostram disputantium societatem maxima affecisti voluptate. Ego hodie etiam laetitiam incredibilem accipio, virtutum praeclarumque iuris scientiarum TVARVM praekonium faciens. Gratulor *collegio* nostro, cui ingenti omnino laudi est, ex TE tantam gloriam adipisci. Aditum TIBI in dies patefacis ad amplissima virtutis praemia, et facillimorum in patria TVA fatorum expectationem magis ac magis confirmas. Respondeat optatis meis supremum Numen, ut merita TVA quam largissime expleantur, atque conamina TVA semper felicissime evenciant. Vale, meque semper habeas commendatissimum. Dab.

Ienae, die XXI. Septembris, CIOIOCLXX.

C. 3

MON.





MONSIEUR,

**L**e ne puis que v o u s rendre graces de l'honneur que v o u s m'avez fait de me choisir pour un de v o s Opposants. v O T R E mérite, et le savoir, que v o u s avez acquis par v O T R E travail, me répondent de l'applaudissement du Public. Ainsi, MONSIEUR, agréés le compliment de felicitacion, que je v o u s fais là-dessus, et v o u s persuadés qu'en toute rencontre je me ferai un plaisir d'être avec toute la considération possible,

MONSIEUR,

Jene  
ce 21. Septembre  
1770.

v O T R E très-humble serviteur,  
IVSTE SIGEFROID DE KOPPEFELS.

VIRO PRAENOBILISSIMO

DISPUTATIONIS RESPONENTI


DOCTISSIMO

AMICOQVE SVO SVAVISSIMO

S. D. P.

IO. CHRIST. CAROLVS FÜRBRINGER  
OPPONENS.

**S**ingularem in modum laetatus sum, quod mihi obuenerit occasio, contra T E dissentientis prouinciam in me suscipiendi, et T I B I de honore, quem sine omni dubio ex hoc certamine reportabis, ex animo gratulandi. Iamdiu enim optaui atque speraui occasionem, qua T I B I, cum



 eum amorem eamque amicitiam possem demonstrare, quibus t e sem-  
 per sum amplexus; gaudeo igitur magnopere, quod spes hac in re  
 me non fefellerit. Vt autem meo satisfaciam officio, maximas t i b i  
 ago habeoque gratias, quod me negantis munere dignum aestimare,  
 sicque me honoris et utilitatis, quae exinde in me redundabit, parti-  
 cipem reddere volueris. Ceterum semper mihi est in 'optatis, quod  
 Numen supremum, quod veneramur, omnia t v a incepta felici co-  
 ronet exitu, eaque in patria accipias praemia, quae t v a singularis  
 in iure acquisita peritia meretur. Vale, mihi que semper faue.

Dab. Ienae, d. x x i. Sept. MDCCLXX.

V I R O  
 NOBILISSIMO AC DOCTISSIMO  
 DOMINO RESPONDENTI  
 S D.  
 IO. HENR. CHRIST. SEEBER  
 O H E D R V F I E N S I S  
 O P P O N E N S .

**D**I E S faustus et felix est, qua, munere opponentis in me suscepto,  
 de singulari t v a in iure acquisita eruditione, publice testari possum.  
 Profecto morum lepore, et litterarum honore nemini non commen-  
 daturus es. Per spatium enim trium annorum, quos Musis tradi-  
 disti, maxima cum voluptate semper t e usus sum. Floreas vi-  
 geasque; vt autem in posterum amore me prosequi, t v a que amicitia  
 dignari velis, summopere abs t e peto atque contendo. Dabam  
 Ienae, d. XXI. Septembris MDCCLXX.

NO-



NOBILISSIMO AC DOCTISSIMO  
**R E S P O N D E N T I**  
 AMICORVM SVO DILECTISSIMO

S. P. D.

E. I. GV. REINMANN

SAALFELDENSIS.

**N**IHIL vnquam mihi neque iucundius, neque exoptabilius acci-  
 dere potuit, quam quod occasionem mihi praebas felicissimam, illum  
 publice **TIBI** declarandi amorem, quo **TE** semper sum prosecutus.  
**TIBI** enim eam eruditionem et laudem comparasti, vt certe inde  
 fructus percipere potueris pulcherrimos. Iam iam in eo es, vt spe-  
 cimen publicum eruditionis **TVAE** edas, coque edito hanc mula-  
 rum sedem relinquis. Conscendis in arenam disputatoriam et quis  
 est, qui **TE** victorem fore, dubitet? hoc enim finit sperare egre-  
 gia **TVA** indoles, et in disceptando adepta virtus. Gratulor itaque  
**TIBI** de his laborum **TVORVM** iudiciis bene perfectis, et vt sum-  
 mum illud Numen conatibus **TVIS** adfit, atque **TE** incolumem, fa-  
 tum tectumque conseruet, sincere opto. Age semper feliciter, ac  
 vitam viuas ad seros vsque annos felicissimam. Vale, meque, si tanti  
**TIBI** videar, ama. Scribeb. Ienae, die **XXI**. Septembris

**MDCCCLXX.**



Jena, Diss., 1770-71

ULB Halle

3

004 216 091



W 18





1270,6  
~~2079~~

DISSERTATIO IVRIDICA

DE

COMPENSATIONE  
CREDITORVM IN CONCVRSV

QVAM

PRAESIDE

CAROLO FRIDE

IVR. DOCTOR. ET PANDECT. I  
SEREN. DVICIS SAXO-GOTHANI  
RIO AVLICO CVRIAE PROVINC.  
LEGII ET IVRISCONS. ORDINIS  
EPHORO ALIARVMQVE SO  
PVBLICAE ERVDITO

D. XXII. SEI

SVB

IOANNES ERNE

SAALF

I E

LITTERIS



*Walt. de compensatione creditor. in concursu*

